



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Avtvmnalis - A Dominica Decimaquinta post Pentecosten, ad  
Adventum

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Nihil est nobis tempore vilius, quo tamen nihil est pretiosus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44846**

negare partem, nam pars illa temporis quam negares, pars esset vitæ tuæ. Quidquid enim in illa parte temporis ageres, viveres scilicet: & quod tum viveres, nonne tam verè Christo subtraheres, quam tempus ipsum, quo vivere & agere dicereris? Possesne actu vitæ expresso velle Domino vivere, & non velle ei respirare? Non posses quia hoc esset vivere & non vivere, seu velle & nolle, cum vivere & respirare sint unum & idem. Sic omnino quantum ad rem nostram, licet tempus non sit tam intrinsecum humanæ nostræ vitæ quam ipsa respiratio, sic tamen illi est connexum & colligatum, ut quo actu vita ponitur, ponatur tempus: & qua parte tempus collocetur, collocetur & vita.

Job. 7.

*Ventus est vita mea*, dicebat Job & præclare, hoc utrumque respiciens. Nam vita ventus est. Id est respiratio, & vita ventus est, id est, citissimum tempus.

## III. PUNCTUM.

DE UTRAQUE CONJUNCTIM  
VERITATE.

**UTRUMQUE** simul igitur non modo verum est, quod nihil magis est, nihil minus est nostrum quam tempus: Sed utrumque sic simul conjunctum non parùm est efficax ad usuram temporis utilius deinceps collocandam. Cum enim tuum sit tempus, & cum sit ita tuum, ut ne quidem exigua te nolentem possit præterire

HVIC AFFINIS VERITATI, HÆC  
ALIA POSSET ADDI.

Nihil est nobis tempore vilius, quo tamen nihil est pretiosius.

**RATIO** primæ partis est, quia nihil est nobis eo vilius quod crebrius & libentius projicimus. Sed nihil est, aut cerè vix est aliquid, quod crebrius & frequentius projiciamus quam tempus, terendo illud otiosis colloquiis.

Ergo nihil est nobis tempore vilius, quo tamen nihil est pretiosius.

**RATIO** hujus postremæ partis est, quia nihil est eo pretiosius cujus parte exigua thesaurus ingens, quale est cœlum cœlestisque Beatitudo,

particula, quia omnem planè possis complere in omne opus bonum, quid est quod illud nolis? Nos oportet operari opera ejus qui misit nos, donec dies est: *venit nox quando nemo potest operari.*

Cum verò non sit ita tuum tempus ut tibi partem aliquam alio quam velit Deus liceat detorquere, auderesne quod non licet? Auderesne non tua rapere? Auderesne te à Deo subtrahere? Te tibi vindicare? *Adesse festinant tempora*, Id est, sese quodammodo ingerunt & offerunt, quibus bene de Deo merearis: tu verò tempus nondum adesse aut abesse causaberis? *Iustum & impium judicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.* Observanda cerè verba, quasi diceret Sapiens, tunc velis nolis apparebit in judicio, nullam prorsus fuisse partem temporis, in qua non aliquid operæ pretium potuisses ponere: licet modo dissimules, ita tamè revera est, neque enim tunc erit verum in judicio, quam quia modo est: & quia modo ita est, sic erit etiam in judicio, ut quantum modo bene vel malè tempus impenderis, tibi rependatur. *Non est dicere, quid est hoc aut quid est istud? Omnia enim in tempore suo quarantur*, Id est, neque rem ullam, neque tempus ullum putes esse inutile, nulla res enim est, neque pars ulla temporis de qua non sit futura quæstio, quem in usum tibi eam usurparis.

*Tempus beneplaciti Dei*: Donec tempus judicii tui veniat, da mihi hoc tui beneplaciti tempus sic adimplere, ut tempus judicii tui, sit mihi velut hoc tempus beneplaciti tui.

potest emi. Sed tale est tempus, seu etiam pars quantumvis exigua temporis. Cœli pretium est nobis propositum. Ergo nihil est tempore pretiosius. *Fili conserva tempus, & devota à malo.*

*Tantum enim gloriam omni hora negligimus, ait sanctus Bonaventura, quanta bona interiri facere possemus si otiose eam transigimus.* Quæ omnia fusius pertractata sunt in 2.

parte, Dominica 3. post  
Pascha.

FERIA